

344

Lib. II. Cap. XIII.

7. Not. 3. Neque determinatè potest exprimi numerus illarum enunciationum, quæ ad compositam constituendam concurrunt: interdum quidem duæ tantum sunt, interdum etiam plures. Sic Joh. 1. 4. continetur copulativa quæ quatuor constat enunciationibus: *In ipsò vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebra eam non apprehenderunt.* Unde in hoc etiam errat P. Hisp. l. c. quod compositam ex duabus categ. constare putat.

8. Not. 4. Cum enunciatio composita dicitur constare ex aliis enunciationibus, hæc ex quibus scilicet constat, vel sunt actu & explicitè enunciationes, vel potentiâ proximâ, ita ut levi, quoad modum, verbi facta mutatione, redacto nempe conjunctivò ad indicativum, actu & explicitè sint enunciationes, e. g. hæc: *si canis esset rationalis, esset homo, est composita, licet enim actu non constet ex enunciationibus, (cum hæc orationes: *canis esset rationalis, canis esset homo,* non sint enunciationes, quia nec verum nec falsum ipsis inest) ex iis tamen composita est potentiâ proximâ, ut *levi mutatione facta actu sint enunciationes, h. m. *sic canis est rationalis, est homo.* Unde hæc: *Si Socrates curreret, moveretur,* minus rectè à Marsil. tr. 1. sum è numero compositarum ejicitur.**

9. Enunciatio composita dividi vulgò solet in tres species, conditionalem scilicet.